I. N. I.

SERPENTEM ÆNEUM LUCULENTISSIMUM JESU CHRISTI CRUCIFIXI TYPUM

Ex Num. c. 21. v. 6. 7. 8. 9.

DIVERSIS MEDITATIONUM EXERCITIIS

IN

GYMNASIO VRATISLAVIENSIUM ELISABETANO

Die XXV. Martii, ipso Soteriorum Christianorum Festo

Horis â I. pomeridianis

CONTEMPLANDUM

indigitat

M. JOHANNES FECHNERUS.

ANNO

Reparatæ per Christum Salutis

M. DC. XLIV.

BRESLÆ, exprimente GEORGIO BAUMANNO.

Fe

309.

LECTORI BENEVOLO
Salutem, Amorem, Obſervantiam.

INter tot illuſtres typos, in quibus Meſſias ὀφιοκτόνος olim populo ſuo contemplandum ſe exhibuit, nullus eſt, qui venerabile Crucis Dominicæ ſacramentum plenius aut planius exprimat, quam Æneus ille Serpens, quem Moſes in deſerto Iſraelitis à ſerpentibus ictis erecto in ſtipite publicè contuendum propoſuit. Veſtros appello oculos, ò fideles Chriſti confeſſores, qui ſacris orthodoxæ religionis rectè eſtis imbuti, quorum corda Spiritus Sanctus ſalutari fidei lumine colluſtravit! Vos enim in horribili hac & ſacra beſtiæ proſerpentis ſpecie videtis, quod paganus non intelligit, quod Judæus apella obſtinatè negligit. Videtis, inquam, hic ectypam imaginem ſacratiſſimæ illius hoſtiæ, quam unicus ille Novi Fœderis ἀρχιερεὺς & Pontifex Maximus *JESUS CHRISTUS* pro expiandis hominū peccatis Deo patri in ligno obtulit. Videtis aram illam ſanctiſſimam, in qua fulget emblema ſerpentis σωτηρίας, non Æſculapii; ſed *JESU CHRISTI* crucifixi, cui meritò hoc inſcribendum Lemma: *SALUS PUBLICA*. Nam Filius ille Dei eſt catholicus hominum Servator, qui ex arcano Sacro-ſanctæ Trinitatis concilio prodiens, protoplaſtis contra ictum

ſerpentis

905184
II

ſerpentis antiqui mortiferum remedium oſtendit certisſimum, dum malo illi medicinam adhibere neſciunt miſeri.

Contra *Aſpidis* & plurimorum angvium *morſus venenatos nullum, niſi divinum valere præſidium aſſerit* Magiſter veritatis philoſophicæ Ariſtoteles. Et quamvis contra venenum viperarum aliorumq; quorundam ſerpentum φάρμακα θηριακὰ ex ipſa viperarum carne curioſa Medicorum ſolertia ſciat parare & ſalubriter attemperare: nulla tamen tàm efficax eſt medela, quæ facilè interfecerit peſtem præſentisſimam, quam dipſas, hammodites, cauſus & alii ſerpentum truculentisſimi morſu letifero ictis abs ſe inferunt. Hoc enim veneni ſimul ac ſævire cæperit in præcordiis vitæ fontem intercludit & hominem in ferreum ſubito collocat ſoporem. Et hoc quidem videre eſt in Iſraelitis, in quos Deus exercitum ſerpentum ignitorum immiſit. Ecce, invadunt caſtra undiq; angves illi καύσοντες, ſive δράκοντες ἰοβόλοι, involant, quoscunq; offendunt, & tantam populo inferunt cladem, quantam non accepit exercitus Catonis, cum in arenis Africæ ab hujusmodi monſtris divexaretur. Ac licet non fuerint revera ſerpentes flammantes, qui ignem ſpirarent, uti volunt Rabini: fuerunt tamen *inflammantes*. Icti namq; ab ipſis *contractâ ardentisſima peſte maximâ inflammatione corripiebantur*, quod Aulo Catonis ſignifero, cum ab urente cauſo ictus esſet, accidisſe ſcribit Lucanus:

l.8. hiſtor. Anim.

Ita hos ſerpentes lxx. vocāt. Sap. 16. 10. Luca. l. 9. de Bello. Pharſ.

Deut. 8. v. 15. Cajet. in h. l. Gerhard. part. 1. hom. 4. in Paraſc. Luc. l. all.

Ecce ſubit virus tacitum carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit viſcera tabo.

Neq; morſum duntaxat peſtiferum inferebant,

sed cum morsu simul mortem, adeoq; reapse erant θανατȢντες. Quid facerent igitur homines omnium occisissimi? post subitas plurimorum mortes contra virulentissima ista & ardentissimâ rabie armata θηρία nullum aliud restare præsidium videbant, nisi opem divinam.

Habes hîc archetypam imaginem vulneris illius letiferi, quod serpens antiquus nobis inflixit. Nam lingvâ suâ falsidicâ propinavit præstigiator ille primo homini venenum pestilentissimum, quod universam ejus naturam infecit, depravavit, corrupit. Excitavit, ut prester, æstum cupiditatum ferventissimum, intulit, ut cerastes, alienationem mentis, induxit, ut aspis, torporem & veternum letalem. Quid multis? fallaci sub esca mortem præbuit tam temporalem, quam æternam. Insanabile erat hoc cacoethes, desperata erat hæc plaga, in qua curanda frustra desudabant iatraliptæ, frustra laborabant clinici. Omnem opem humanam respuebat vulnus hoc immedicabile. Nulla enim opera etiam sanctissimorum tam congrua, tam efficacia sunt, quæ malo culpæ tollendo aut expiando sufficiant. Nisi cęlestis animarum medicus auxilium tulisset, actum fuisset. Sed quam ille medicinam adhibet malo tam detestabili? Ingens sane operæ pretium erit hoc cognoscere. Adspice sodes æneum serpentem: hic exhibebit tibi signum σωτηρίας hujus evidentissimum. Erigi illum jubet DEUS suo... in pertica, ut sit in propatulo, jubet eum intueri: nihil præterea adhibet. Neq; enim potionem aliquam medicam hauriunt ægri, neq; offam theriacam in os inverguut, neq; vulnera opobalsamo Syriaco inungunt:

ungunt: Sed intueri tantum jubentur serpentem æneum: & quicunq; id faciunt, ac remedium hoc divinitus monstratum oculis usurpant, illi confestim sanantur, *non* quidem *per hoc, quod vident, sed per salvatorem omnium, cujus Symbolum* fuit æneus iste serpens. *Sap. 16. 7.* Eodem modo *JESUS CHRISTUS* in excelso crucis patibulo propositus est à Deo, ut communis propitiator, ut unicus mediator inter Deum & hominem. Ecce factus est pro nobis virorum novissimus, factus est *vermis*. Ecce pendet è ligno ceu hæmorrhous *Ps. 22. v. 7.* rubicundus, toto corpore cruentatus; omnibus membris profundit sangvinem, quo emũdat nos ab *Act. 20. v. 28.* omnibus peccatis, quo *sibi redemit Ecclesiam.* Hunc δρακοντολέτην & Salvatorem crucifixum intuere, ô homo peccator! Nam *qui vult vitare Diaboli venenum, inspiciat Christum cruci affixum*, monet B. Augustinus. *Serm. 101. de Tem.* Intuere autem illum non oculis carnis, sed mentis, i. e., verâ fide, verâ fiducia in meritum ejus sufficientissimum. Respice medicum, & Recipe sanitatem. Crede, inquam, & fides tua te servabit. Ita *vidit* Salvatortm suum pater credentium *Abraham*, *Ioh. 8. v. 56.* *& exultavit: credidit DEO & reputatum est ei ad justitiam.* *Gal. 3. v. 6.* Ita viderunt Christum quicunq; salvati sunt. Audi Apostolos in oecumenico concilio congregatos: *Credimus per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari, quemadmodum & patres.* *Act. 15. v. 11.* Audi orthodoxos doctores: *Quantalibet virtute* (scribit Augustinus ad Bonifacium) *l. 8. c. 21.* *antiquos præditos fuisse prædices, non eos salvos fecit, nisi fides salvatoris, qui in remissionem peccatorum sangvinem fudit.* *Solâ fide allata* (inquit Theodoretus) *peccatorum remissionem accipimus, quoniam velut quoddam redemtionis pretium Dominus corpus suum obtulit.* *In c. 3. ad Rom.* *Sit in corde justitia* (monet Bernhardus) *& justitia, quæ ex* *Serm. in Vig. Nat.*

 fide

fide eſt: hæc enim ſola habet gloriam apud Deum. En Catholicum conſenſum! Credimus itaq; & nos in *JESUM CHRISTUM*, ut juſtificemur per fidem in ipſum. Indignentur Pagani, fremant Judæi, nos gloriamur in cruce Domini, quæ *in vexillum gentibus eſt propoſita*. Laudet antiquitas, ſalutiferum Æſculapii angvem; prædicent fabulæ caduceum Mercurii gemino implicitum ſerpente, quo ille manes coercere & ex orco poſtliminiò revocare ſcribitur; jactent Mediolanenſes eximia civitatis ſuæ inſignia, quæ aureo in clypeo oſtentant cæruleum ſerpentem rubicundum ore vomentem puerum, quæq; à Chriſtianisſimo heroe Gotofredo Bullionæo accepiſse ſe gloriantur. Nos potius extollimus Chriſtum crucifixum, qui olim in figura ſerpentis ſe adumbravit, & ut victor inferorum glorioſisſimus mortem abſorpſit, velut olim ſerpens ille myſticus Aaronis divinâ ex virgâ productus virtute devoravit Magorum ſerpentes.

Eſ 11. v. 10.

Ex. 7. v. 12.

Mediolani in templo D. Ambroſii juxta aram Chriſti crucifixi collocatum olim fuit ſupra columnam marmoream ſimulachrum ænei ſerpentis, idq; ex ipſius Ambroſii inſtituto factum tradunt. Eandem imaginem tanti fecit D. Auguſtinus, ut ſermone piarum meditationum plenisſimo illam ſibi ſumſerit explicandam. Patrum horum ſanctisſimorum exemplo admoniti conſtituimus & nos craſtinâ luce, quâ Eccleſia divinâ favente gratiâ ſacratisſima Pasſionis Dominicæ beneficia pia recolet mente, horis pomeridianis Typum *SERPENTIS ÆNEI* diverſis meditationum Scholaſtico-Theologicarum exercitiis contemplari, & quantum divina nobis

Bugat. l. 3. hiſt. Mediolan.

Ser. 101. de Temp.

nobis largietur clementia, ex antitypo explicare, eo præprimis fine, ut Juventutem ſtudioſam ad devotam Crucis Chriſti conſiderationem ſuſcitaremus.

Quoniam verò in pietate excitanda exempla quoq́; , quæ coram ſpectantur, multùm valent, à *Vobis, Viri Magnifici, Nobilisſimi, Strenui, Amplisſimi, Admodum-Reverendi, Excellentisſimi, Conſultisſimi, Experientisſimi, Clarisſimi, Præſtantisſimi, Humanisſimi, Literatisſimi, Patroni enixisſimè colendi, Fautores plurimùm honorandi* etiam atq́; etiam petimus, ut cras, Deo volente, hora I. pomeridiana Gymnaſium noſtrum inviſere, & honorificâ veſtrâ præſentiâ diſcipulos noſtros ad debitam attentionem nobiscum inflammare non dedignemini. Neq́; opus eſſe putamus prolixiori invitatione, cum in honorem Chriſti crucifiixi, quem prædicabimus, vel ſponte nobis præſto ſitis futuri. Certi proinde favoris veſtri promittimus Vobis obſervantię ſtudia, exigua quidem illa, promtisſima tamen & paratisſima. P. P. An. *M. DC. XLIV.* die Viridium, qui erat 24. Martii.

SERIES RERUM AC PERSONARUM.

Dicent

- 1. *Præloquium ad Auditores*, Balthasarus Kopisch Reichenbachensis.
- 2. *Exercitia meditationum in*
  - *Prosa in*
    - *Genere Serpentis*
      - *Vituperium*, Christianus-Benjamin Alberti Vratisl.
      - *Encomium*, Philippus-Iacobus Sachß Vratisl.
    - *Specie in*
      - *Explicatione*
        - *Antecedentium*
          - Comparationem *Morsus serpentum ignitorum, & Ictus Serpentis antiqui, i. e. Peccati & Mortis consequentis*, Georgius Güntherus Vratisl.
          - Exhortationem *ad pœnitentiam exemplo Israelitarum maturandam*, Iohannes Wagenknecht Vratisl.
        - *Typi ipsius*, Comparationem *Ænei serpentis & Christi crucifixi*, Augustinus Crusius Schönaviensis.
      - *Applicatione Typi*, Comparationem *Intuitus Ænei serpentis salutiferi, & Fidei in Christum salvificæ*, Iacobus VVildius Gryph.
  - *Vorsa in Christum crucifixum*
    - *Silvam, heroici carminis* Casparus Henrici Bauzenas.
    - *Melos Phalæcium*, Daniel Franck Vratisl.
    - *Epigrammata selectiora variorum poetarum*
      - Andreas Trauschky
      - Iohannes Ioachimus Haunoldt
      - Christophorus Alberti,
      - Georgius Täschner /
      - Tobias Hahn /

      (all) Vratisl.
- 3. *Exodium*, Melchior Tilesius Hirschberg.